Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1987
Quelle:
Copyright:

a. 1435. et 36. a Legatis *Basileensibus* et e Concilii Decreto, notum est, sed de nostra Synodo et Visitatione nihil inveni in Actis *Leonhardi* Ep. apud. *Hansiz. T. I. Germ. sacrae.* Contigisse debent illae intra an. 1429. quo *Leonhardo* reconciliatus est *Albertus*, et 1438. quo *Sigismumdo* in Imperio successit.

Fol. 274. Adlocutio Synodalis, cujus initium: *Celeberrimam hanc ac omni laude dignissimam conuocacionem conspiciens mentis pre angustia non abs re contremisco.* Et mox: *cum — vos ad christiane religionis, ac huius insignis ac Venerabilis ecclesie Vesprim. conseruacionem ac amplitudinem aduentasse intelligam,* et: *vt huius sancte ecclesie vesprimien. status reformetur, ecclesiastica iura reparentur, seui mores corrigantur* &c. En igitur Synodum *Hungaricam Veszprimiensem*, de qua nihil in Collectione *Concilior. Car. Péterfy, Poson.* 1741. f. Dominica XIX. post Pent. inchoandam fuisse, Evangelium de Homine Rege *Matth.* 22. docet, quod pro Themate adsumsit Noster, qui inter alia praedicandi munus Episcopis enixe commendat. Annus non exprimitur, nec illud, an haec Adlocutio re ipsa habita fuerit; lego enim in margine alicubi: *Pro collacione in Sinodo illa sequentia introduci possent*, et alibi: *Hic potestis abbreuiare, si placet.* Unde nascitur suspicio, Adlocutionem hanc a quodam Theologo *Vien.* concinnatam fuisse ad preces Oratoris, quod nec hodie infrequens.

Fol. 303. Prosae III. ut in Ecclesia cantari solebant. I. de Natali Domini: *Natus ante secula Dei filius invisibilis interminus* &c. II. de S. Stephano: *Hanc concordi famulatu colamus sollempnitatem* &c. III. rursum de Natali: *Grates nunc omnes reddamus Domino Deo, qui sua natiuitate* &c. Plurimis vocibus impositae sunt inter lineas Synonymiae ad erudiendos, ut videtur, Pueros phonascos.

Fol. 313. *Collacio M. Ni.* (colai de Dünkelspühl, ut non dubito) *coram Maguntino Episcopo Anno domini M° CCCC° 29. Wyenne. Conradus* is erat. III. e *Rhingraviis* ad *Sigismundum* Imp. et Comitia *Posonium* descendens sub exitum *Novembr.* salutatus, uti mos ferebat, in transitu ab Academico Magistratu. Oratoris Thema: *Si quis episcopatum desiderat* &c. I. *Tim.* 3. Initium: *Secundum thomam 2ª. 2ᵉ. q. 1. de 2. tria sunt in episcopatu consideranda* &c. Expositis itaque officiis ad laudes Praesulis et preces delabitur, ut ad salutares Comitiorum effectus collaborare, et redux Concilium prouinciale cogere velit, *vt predeliberentur et aduisentur ea, que in generali concilio fuerint ordinanda*, quae deinceps enumerantur, non omissis *Hussitis.*

Fol. 382. ad finem Congeries Statutorum Universitatis *Vindobon.* cui sequentia insunt: 1) *Tabula statutorum Vniuersitatis*, nempe generalium illorum promulgatorum ab *Alberto* III. a. 1384. quae edita a *Lambecio* L. II. c. 5. p. 94. repraesentavit *Kollarius Analect.*